

Vc
4099



h. 30

D

D

E



h. 36, 23.

V c
4099

M A R S

VICTORIAM LIPSIACAM

*Serenissimorum, Invictissimorum, Gloriosissimorum
Principum ac Dominorum,*

Dn. GUSTAVI

ADOLPHI

Suecorum, &c. Regis:

ET

Dn. JOHANNIS

GEORGII

Saxoniae Electoris, S. R. I.

Archimareschalli, &c.

PANEGYRI

In incluto ad Plisn - Elistrum TILIETO
celebrans,

Eaq; ipsa Ligistarum Cladem, Evana-
gelicorum vero Successum, nec non Li-
psiam obsessam liberatamque poeticè
breviterq; enarrans.

LIPSIÆ, Excudebat Gregorius Ritzsch/ Anno 1631.





AD SERENISSIMUM
ELECTOREM SAXONIÆ,
DOMINUM SUUM CLEMENTISS^{um}.

M Artia qua nostris vis reddidit otia Musis,
Cujus in obsequium promptius ire velint;
Quàm qui pacificas ita Lauru jungit Olivas,
Mars simul ut patriis & sit Apollo Choris?
Ensigne ò invicte, Pater Patria, Alme GEORGI
JANE, tuis plaudit Lipsias auspiciis:
Urbs servata Tibi, Tibi condita: Perge Bohemos
Divino pariter reddere Marte sibi!


INVICTÆ SERENITATI IPSIUS

Devotissimus

D. C. Q.

M A R S.





P A N E G Y R I S.



Axonidæ Heroes, stirps Augustissima
Regum,

*Et Imperatores &
Reges à stirpe Sa-
xonica implent His-
torias Germaniæ.*

Qui domitricem Orbis septeno è culmine Ro-
Teutoniæ sceptris, Aquilæq; biverticis umbræ

Subdere, qui Latias ausi transcendere palmas
Tibridis imperium Rheni mutâstis honore.

Ensi ferri Proceres, quorum Germania pridem
Nixa tenet virtute Deos, florentia cælo

*Monarchia Roma-
na ad Saxones de-
lata.*

Extulit, & Superis arma, olim invicta, probavit:
Despicite ad nostros æterna è sede triumphos;

Quæcunq; emenso jubet Omnipotentia mundo
Jam vestras lucere faces: neq; enim ulla priorum
Certior æternis domus addita creditur astris.

Vos serie illustri, vos longis Martia pridem
Ordinibus decora excelsâ Pietate professi
Comere, Palladis hederas geminâstis olivis.

*Pietate & armis
Saxones excelsissimè*

Inclutus ut quondam, tota cum gente suorum,
Jesseides, sacra pacificis altaria palmis
Devenerans, simul arma virum rapuère, redibat
Victor & ingenti lassatis cæde lacertis,
Aurea deposito repetebat nablia ferro.

Davidis exemplo.

Respicite, ô, vestrumq; genus, sanctumq; Nepotem
Cernite; quàm longo pallens Ecclesia nuper
Vulnere, quàm dubiis nutans Respublica pridem
Elicitibus, exsurgat! lætis Victoria circum
Præpes eat pennis, cineres rediviva vetustos
Religio abiciat, dejectaq; tristibus ausis
Tisiphone, accisis volet immiserabilis alis:

*Vera religio relucet
Superstitiozes emor-
tuentur cum aucto-
ritate Papatus.*

Læta caput Pietas, caput eruta nocte profundâ
Perpetuum-viridi cingat, Sapiencia, Lauru.
Barbaricæ pestes, collecti mille manipli

*Eam sequuntur hu-
manitatis artes.*



PANEGYRIS LIPSIENSIS

Gentibus infandis tenebras testantia vultu
 Agmina mentis, habet longis evincta catenis
 Carcer, & ingentes campi procul offibus albert,
 Gramina sanguineo latè sordentia tabo
 Subsidunt, rivisq; cruor manantibus hæret.
 Scilicet hi Superos contra, contra arma tulerunt
 Teutoniæ Proceres; Leo quos Arctoa Trionum
 Regna piâ ditio premens, quos Rutiger Heros
 Straverunt, castrisq; simul, famâq; virisq;
 Exsuerunt: jacet innumeris dispersa ruina,
 Cladibus & totâ latè regione cohortes
 Procubère nigræ; temerati terror Olympi,
 Libertasq; ultrix Germana fugacibus instant.
 Hinc S V E C U S; quatit inde hostili turbine Victor
 S A X O N I D E S; Vos gesta Virum, Vos dicite Regum
 Pierides, quamquam acta procul, quamquam ardua men-
 Consilia exsuperent aciem. Juvat ire canendo (tis
 Quà Deus ipse vocat; servet miracula rerum
 Posteritas, seroq; ferat memoranda Nepoti.

*Victoria hostium
 reducit artes pacis*

pæna impietatis.

*Et libertatis atten-
 tata ultio.*

*Tria fere lustra
 bacchatus furor
 papisticus, ab obitu
 nempe Imp. Matib.*

*Lutherani Princi-
 pes innocentissimi
 debellantur.*

Pæser valium.

L U S T R A recursuris sua per primordia metis:
 Sol tria condiderat, ex quo Furor impius omnem,
 Hercyniâ egressus Germanida vertere sylva,
 Cœperat: infestis volitabant agmina signis,
 Alpibus à Latiis ad Balthi marmoris undas,
 Jura, Fidem, Superos, unâ calcantia clade.
 Innocuos Procures vitâ spoliabat & auro
 Per ludum Marrana lues: Christumq; professi
 Palabant longo exulio, puerique virique,
 Fœdataeque nurus, defectaq; viribus ætas.
 Fumabant excisa urbes: vastata ruinis
 Oppida debebant flammis; populantibus agri
 Jam deerant, spatiis scelera insaturata carebant.
 Mille modis serpenticomo bacchata Megæra
 Torquebat viru populos: Exempla vetustas
 Nulla malis tulerat, Furia quibus undique nostros

Infe-

IN VICTORIAM LIPSIENSEM.

Infecere dies; ipsum infecere nefandis
Aera flagitiis: Animo inconcepta Libido
Haecenus humano, nil non patrabat, ut omnem
Exfueret naturam, insultaretque jacenti:
Sanguinis atra sitis, Furor, auri immensa cupido
Regnabant late: Vi, fraude, doloque patebant
Blanditiisque Heroum Arces, seu credula sanctis
Simplicitas verbis, jurando prodita Jure,
Moenibus admissum coleret civiliter hostem,
Seu, scelerum longè recolens monumenta priorum,
Pelleret; innumeris rediens exercitus alis,
Fex collecta ipsis tetri è penetralibus Orci,
Illyrici Lemures, Europæi ulcera mundi,
Harpyiæ immanes, Examina longa trahebant,
Tentabantque aditus, insultabantque potitis.
Proh Superi! quis facta queat memorare Luporum?
Viscera rumpebant ferro materna cruento;
Nondum nata, uteris egesta, cadavera lento
Torrebant igni: Lactens infantia blando
Ore precabatur vix coeptæ parcere vitæ,
Frustra, cheu! rapido raptor teterrimus actu
Elisos saxi oculos, & fracta cerebri
Munimenta rotans, grato spectacula visu
Præbebat sociis: Miseros ante ora parentum,
Ante maritorum nuptæ innuptæque puellæ
Virginei voti, matronalisque decorem
Perdebant thalami! Quot foedi sæpe Latrones
Corporis unius simul illusere pudori!
Mille licet linguis vox ferrea neceret orsa,
Nec minimam scelerum possem tamen edere partem.
Stat mansurum omni monumentum tempore; Belli
Opprobrium; Armorum venturo dedecus ævo,
Barbaricæ testis nunquam delebilis Iræ,
Urbs excisa solo, Fidei sanctissima Custos,
Urbs modò pulla cinis, nuper pulcerrima Virgo

A 3

Ductores Pontifici
blandis verbis pro-
pugnacula Princel-
pum capiebant.
Non admissi vi o-
mnia per rumpebas

Externa nationes
contra jurata pacta
& Recessus Imperii,
Germania induceta.

Kind im Mut-
terleib nicht ver-
schont.
Paservalcum.

Infantes saxi allisi.

Libido plusquam
beluina: tota Pol-
merania testis.

Magdeburgum
Christianitatis Arx
à malè Christianis
corrupta, fracta,
Non exustis.

PANEGYRIS LIPSIENSIS

*Aliquot millia fama canebat fluvio
mersa.*

*Pleraq; ex pueris
& mulieribus constans.*

*Tillius eversa Mag-
deburgo Saxorum
in vadere nititur.*

Confest.

*Tillius animo per-
cellitur adventu
Sueci.*

*Non recedere vult
nisi firmatis suorum
animis.*

*Clades Tilliana
VVerbensis.*

*Confidebat Tillius
veterano exercitu
notitia locorum nu-
mero ipso militum.*

*Rex in castris pra-
solatur.*

*Succedentem val-
lo erumpens prossi-
gat;*

Non acie hostili, sed fraude, Urbs versa suorum,
Cujus in excidio decies tria millia caesos
Flumine funereo nondum pater abstulit Albis.

Non hos arma manu, non consilio moventes
Pectora ut infesti Cacodæmonis urere possent
Tartareos animos; sed vulgus amabile, quamvis
Sævo etiam Victori; at non tibi, perfide Tilli.

Hic Furias omnes sese insumisse putares,
Et tandem retrò flexura piacula cursum:

Restabat major sitis, indepletaque pestis,

Sanguineis Epulis Bellaria Luxus amici

Quærit in exitio funebri, Principis œstro.

Ergo impura manus etiam, stillantia casto

Sanguine Parthenopes vertit vexilla nefasq;

Saxonæ ad campos. Aderat quia Martius ultor

Virginis ad sponsæ, jam castra invicta, SUECUS,

Transtulerat, gratumq; celer residebat ad amnem,

Illius appulsu longum tremuere Dracones

Cœrulei, rauco tepuerunt tympana pulsu,

Non solitum claxere, sed illætabile murmur

Degeneres fremuere tubæ: tentoria fixis

Hæserunt sudibus, malè visa rudentibus astra

Incubuerè die, sævum bellantibus omen.

Non tamen Albiacis voluit secedere tesquis

Prædo rapax, prætentato nisi callidus hoste

Relligionem animis sociorum expellere diram,

Agmine quadrato, constipatisq; manipulis

Castra petit Regis, unoq; ingentia tendit

Impete præcipere impulso momenta tyranno.

Scilicet instructis longè legionibus hoste

Militiâq; prior, numeroque, astuque locorum,

At venientem ingens præstolabatur in imis

Rex castrorum adytis, tormentaq; mille cientem

Ridebat residens; donec vi saucius ultro

Tillius ipse sua vallum subit; illicet omnes

Ordine

IN VICTORIAM LIPSIENSEM.

Ordine præscripto flammæ vomuere colubræ
Aggere ab excelso. Rex ipse secutus apertis
Erumpit portis, lethum irrevocabile portans.
Terribiles Vulcanus opes, lucentiaque auro
Arma rapit: furiale globis bacchantibus una
Tum primùm ^{videre paventem} veterani militis hora.
Turbantemq; acies: volat ^{ante} ocyor ante vento
Raptaque sublustri tentoria nocte refigit,
Præcelerans abitum. premit indignata juvenus,
Vincendoque Senem revocat: furit ille ruendo
Præcipiti per opaca fuga, dum montibus Hæffis
Constitit; hic sensim collectis triste manipulis
Evolvens odium tumefacto pectore damnis,
Involat obstantem, atque obfesso colle minantem
Cattigenam. Ille licet non multo milite, pugna
Reppulit immensum robur tamen; altaque virtus
Supplevit numeros: & jam sua fata trahebant,
Ultricesque Deæ per noctem, immanibus umbris.
Terrebant atrocem animum scelera ire nefasque
Expletum toties temerati Numinis in se.
At ne funereæ pro tanta mole ruinae
Deficeret, longo semel exstirpanda tumultu
Materies, toto socios vocat orbe, receptas
Deletum clades: veniunt quibus Itala dudum
Funestatur humus, venit accola montibus ater
Illyriis, sylvasque immania monstra, Croatae
Relinquunt patrias! ruit alite Vandalus œstro,
Semiferique Sclavi, cum tartareo ululatu:
Dalmaticæ stridunt acies, alioque fragore
Marcomani ingentes: pleno jam turbine castris
Constiterant; vindexque Sinim de rupe vocabat
Parthenopæa sua, quæ Virgo erat innuba quondam;
Munere nunc Superùm Natarum gurgitis una
Albidos, immortale canens; Carolæius Heros;

*Sex milia Tiliensium
viri cæsi.*

*Alte Corporal.
Hæffiam assultat,
sed repellitur.*

*Confunditur Tilius
geminata clade.
Et semel periret o-
mnem Ligæ militæ
sibi consecrat.*

*Sinis latro Nobiliss-
simus; lege Pansau-
niam.*

Ruti-

P A N E G Y R I S L I P S I E N S I S

Rutigerique ingens ut dextera principis irent
Germanâ juncti pro libertate, suorum
Ulcisci excidium: mentem ut procul auferat omnem,
Tisiphonæa seni, tot ut unâ clade tropæa
Prorueret, cæcoque incurreret impete Divos.

Ut sese pollentem igitur legionibus

Conspexit longis, ^{Exiitum} ^{sanctibus} alis

*L. Milia in exerci-
tu Tillii.*

Immensas implere acies; ad millia quinque,
Ut minimum, decies; ita constans fama ferebat,
Erumpit, totumque adversum in Saxona virus
Exonerat, facibus stridens, & præpete ferro.

*Saxo nil egtrat cõ-
tra Cæsarem, donec
Religio & Territo-
rium suum non tur-
batum.*

Saxo potens opibus, Virtute potentior, Heros
Omnia Cæsareas fremerent cum classica contra
Undique mota Aquilas; Fidei sanctissimus auctor,
Constiterat, neque fraude ullâ, neque robore belli
Imperii fracturus opes; Patriamve tumultu
Quassurus facili, dederat memorabile seclis
Germanæ exemplum, paucis imitabile, mentis,
Donec tetra suis regionibus arma Megaræ
Abstinit Furor, & sacra Relligio integra mansit.

*Religionis Pæce
fracta.*

At cum læsa fides, jurandaque jura Deorum,
Totq; olim firmata modis, repetitaq nuper,
Pax calcata sua est: atavis non segnior hastam

*Lipsia confædera-
ta.*

Fortibus arripuit, Procerumque adsensibus auctus
Cum nondum patriis regionibus impius ignis
Ingrueret, peditum atque equitum conscripserat alas,
Pro sanctisq; aris & Christi dogmate puro

*Sedet etiamnum E-
lector nec nisi pro-
vocatus movet ar-
ma.*

Indocilis timuisse hostem, in statione sedebat,
Prævisasque procul Furias Pietate premebat.

Magnanimum at miti regnans in pectore robur

Præcipiti cernens, qui volveret omnia casu
Hostis, ubi plenis cessarent castra manipulis,

*Tillius timore sua-
rum virium eum
cessare arbitratur.*

Socordem ratus esse metum, rapit agmina victor
Ante aciemq; impunè putans loca proxima diris
Infundit signis: pereunt pagi que, coloni que

Oppi-

IN VICTORIAM LIPSIENSEM.

Oppidaque haud munita manu, quâ limpida agros

Sala colit, quaque Hunniacis Urbs nobilis olim

Cladibus, innumeris petit aurea turribus astra.

Indoluit Regalis honos, totamque recepit

Nobilitatem animi celsa in præcordia virtus

Indigetis: nec jam dictis opus esse relictum,

Nec constare videns nisi toto Marte salutem

Horrentis Patriæ, Patrias exarsit in Iras

Saxoniae Ductor: tremuit conterrita latè

Alectus acies, fremitumque in Tartara misit.

Jam furor ad pulcræ nitidas processerat arces

LIPSIDOS, hinc studiis Musarum mitibus hospes

Majugenæ florebat honos: sed enim incluta belli

Sic quoque cura viris, ut cum florentia circum

Culta flagrare igni, clademque accedere muris

Præsentem non sat tuta è statione viderent,

Protinus arma tamen, tamen arma capeffere certis

Intrepidi mallent animis, quam dedere sese:

Sed tenues oberant in propugnacula vires

Non firmata satis, quæ tanti Nominis hostis

Tot tormenta movens, tot campo millia versans,

Ridebat sensimque gradu propiore fremebat,

Non dubiam portans eadem, flammamque coruscans.

Jam deflagrant, queis sponte suburbia, cives

Immiserere ignem. Steterat prope mœnia terror

Virginis excisæ: Misèrata Potentia Christi

Musæasque domos, & sancta altaria cultu,

Immisit Pietatem hosti; vocat improbus extra

Præsidia accitos Proceres, dedantque ruentem.

Jam jam mille globis, svadet civiliter, urbem.

Non secus ac Phariæ civis Crocodilus aquai

Deflere antè solet, quam condat ventris hiatu

Terrigenas, quos cum fugiunt, fugat, at fugit iras:

Sic miserans voluitque pius tum Latro videri,

Immanes contra Furias, totamque ruinis

Magdeburgana capi-
tur, regio cir-
cum vastatur.

Tum arma sua
excitat Elector.

Lipsia tentatur.

si se defensam.

Non satis munita
contra tam atro-
cem hostem.

Suburbia cre-
mata.

Magdeburgi exci-
dium ob oculos.

Deus remedium
infert.

Tillius blanditur
& minatur.

B

Par-

PANEGTRIS LIPSIENSIS

Parthenopem ostentans; quæ pulcra Palatia tantis
 Florent opibus spacio irreparabilis horæ
 In cinerem; exustumque solum, repienda canebat,
 Ultima si blandi sprevisset dicta furoris.

Lipsia deditur.

Nec mora consilio tenuis data: celsit atrocis

Urbs pia Blandiciis, Divûm servanda favore:

Jamque forumque arcemque & mœnia tota tenebat

Quattuor immittens peditum vexilla, Tyrannus.

Miserabilis status

Urbis & Acade-

mias

Flebant Pierides, veterum monumenta Sophorum,

Fœda superstitio pedibus pressura superbis

Altum incedebat: flebant decora incluta Regum,

Mutandæ Leges, inversaque jura tremebant.

Jamque Chaos Babyloniacæ meretricis Avernis

Undique surgebat tenebris: visaque supremas

Ferre VALE circum tures, miseranda, Camœnæ,

Plangere dicta auris; nitidique abscedere Soles.

Non ego quæ dubiæ memoro vaga carmina Famæ,

Ipsæ sed expertus, quæ visa auditaque; nempe

Tempore totius numquam obsidionis amatis

Mœnibus excessi; sed fatum in utrumque paratus

Dilectis hæsi Musææ vallibus Urbis,

Egregiæ grates sperans Pietatis Olympo.

Proh Superi, quantos humana negotia Casus!

Quæ Curæ miserorum & res & vota fatigant!

Urbs specie atque opibus, doctorumque agmine magno

Invidiosa Orbi nuper, quam Solis adulti

Orbita Saxonix cœlumque decusque salutat,

Occiduis nigris parentem visere larvis

Cogitur, & longas nulla spe vincere clades.

Quippe ubi tot circum tentoria fixa, tot atros

Undique possessis Equites decurrere Campis

Vidisses, tot funereos volitare Dracones,

Perpetuamque tubis stridentibus ire per auras

Infandis mortem nebulis, tormentaque mille

Lethiferis quatere antra globis, atque aëra longè

Contra spem libe-

ratur urbs opti-

ma.

Lue

IN VICTORIAM LIPSIENSEM.

Lucentem flammis omni regione repulsis:
Qui nosse exempla, novas iterantia clades,
Cottidie; unde repens cœloque oriunda profundo
Arrigeret mentem Spes, aut solamen adiret?
Omnia in æternam credebant cedere noctem,
Turbida tot Furiis lætorum corda virorum.
Rara sub adversis sapientia læta figurat
Quæ ventura timet: totis fera regnat Erynnis
Osisibus, & rigidas vincit torpedo medullas.

*In dubiis mala
plerumq; metus
præfugit.*

Interea magnis obsessæ passibus urbi
Approperant Pater hinc Patriæ, Rex inde SUEVICUS
Illâ etenim primum junxerunt agmina luce,
Qua ferus attonitæ stetit in penetralibus hostis
Lipsidos, ut capta numquam ejiciendus ab Urbe.
Nempe ut protraherent latebris horrentibus anguem,
In patulosque darent incautum excedere campos.
LEUCOREUM ad vallum, plaudentis ad Albidos actam,
Rex positus ante ostidium confederat alis:
Splendida relinquens florentis mœnia Torgæ
Rutiger instructis eodem legionibus Heros
Obvius exierat; medio commisit euntes
Æquore Dibba nitens, tibi que auxilio optima misit
LIPSIA, jam tetri moderanda Latronis habena.

*Adfunt succursus
Rex & Elector,*

Audiit adventum procul, infremuitque cruentum,
Tisiphone, rapidaque ter agmina tristia circum,
Acta rota, diri ductoris in intima rupit
Corda aditum, totoque illuc horrore resedit.
Illicet ærisonis fremere omnia visa repente,
Turbinibus; sonitum arma, tubæ dare classica circum,
Et tormenta tonare, & frangere tympana bombos,
Jam lucere agri, jam mota incumbere totis
Parthenope membris, facibusque instare coruscis:
Ergo inmane fremens animis, atque efferus irâ,
Hoc audere viros, quos jam vestigia retro
Tendere credebat! his illum accedere signis

*Tam diu morantur
ut patentibus
campis cederent
Tullianos.
Rex Viteber-
gæ,
Elector Torgæ
procedunt.*

*Dibba junguntur,
& Lipsiam festi-
nant*

*Tullium motus
percellit.*

*Manes Magde-
burgici.*

PANEGYRIN LIPSIENSIS

Saxona, quem terris tot jam spoliasse putabat?

Saxona, sed fausti monitus, candensque columba,

Ales ab excelso medios illapsa Dracones,

Causa sed ante omnes felix animabat in hostem.

*Obviam procedit
Tullius.*

Cunctos ire jubet sub signa adsueta maniplos,

Anticipare viam & venienti occurrere bello,

Prædatrix acies stipatur, & undique campis

Colligitur dispersus eques: coit omnis in unam

*Opima sunt spolia
Regibus demta.*

Gloria pugnarum, & tot Regum pingvis opimis

Incedit falsâ veteranus imagine victor.

Jamque exultante & votis sua damna levante

*Hora unius itine-
re à Lipsia congre-
diuntur acies.*

Lipsiade, unius spacio secesserat horæ

Tercentum versans cuneos, exercitus ingens,

Tormentis frontem atque equitum latera obditus alis.

Colle nitet modico non densis confita sylva

Arboribus, quâ Bodlicii confinia pagi

Pagus adit Bretefelda, vocabula condita seclis.

*Tullius præcipit
Solem & pulve-
rem.*

Constitit hic, potiorque Loco, Solemque Globosque

Pulveris adversi geminum amolitus in hostem.

Hostis enim huc aderat, huc immortale Tropæum

Sistere Germana pro Libertate volebant

Diis geniti Heroes: risit Pater almus Olympo,

Votaque sancta dedit sperato sine potiri.

Quæ nunc Calliope, mihi quæ Polyhymnia tantas

Tantarum possit moles evolvere rerum!

*Tullii clades præfi-
guratur.*

Quæ tria per, toto collegerat orbe latronum

Lustra furor, spacio unius secum abstulit horæ

Perniciem in longam, desperandosque recursus.

Hoc decus omne armis partum, Vexilla, virosque

Immensasque abjecit opes, vis hostica, campo,

Ut sola cupiens victorem evadere vita.

*Vilium infestus
victor, persequi-
tur.*

At non ille piger Fortunæ instare faventi

Persequitur fugientem, atque in spoliaria Caci

Diis inimici aditum rumpens, prædonis avari

Castraque Fortunasque, & pectora fregit, & ausus

Pri-

IN VICTORIAM LIPSIENSEM

Primus ubi esse propè florentia signa piorum,
Impius adspexit Ductor, dextrumque venire
Arctoum Heroem, spaciis incedere lauis
Rutigerum, infessa tonat irrevocabile sylva,
Tormentis quater omniem aciem molitus, ut olim
Semòrat campo malè provisum impiger hostem:
Reddita sed vis est majore furentior, ut res
Consilio & virtute simul benè gesta triumphat;
Excepti tonitrus tonitru: vaga fulmina certum
Rejecit fulmen, caput inque auctoris ineptam
Avertit cladem, latebris tum movit opacis
Totam, immane fremens, aciem: pars maxima belli
Saxonidæ incubuit: SVÆCUS, quem Sole coacto
Pulvereisque globis confundere posse putarat,
Ponè subit, clausumque suis premit artibus hostem.
Cesserat invicti paullum victoria præpes
Saxonidæ: redit ille animi constantior, & jam
Labentemque gradu, & toto jam robore victum
Impulit, excepti Rex armipotentibus in se
Nutantem Furiis, totumque fluentibus ultra
Dispulit Ordinibus: sternit restantia pugna
Victa fuga sequitur totis procul agmina tesquis
Nulla fides armis, tanta liberrima clades
Exspatiata mora est, tantisque superfuit ingens
Camporum cædes spaciis equitumque virumque,
Ut jam nulla viæ caperentve cadavera fossæ
Currentum, salientum, & cœca in nocte ruentum.
Atroces gemitus, atque illatabile murmur,
Turribus & muris, vigili in statione sedentes
Lipfidos audivêre nûrus, plausumque dedere.
Has spoliatae arces, has funditus eruta poenas
Parthenope, scelerumque alia peperere figura:
Has Nemesis vindex, has libertatis amata
Rex præcone omni, majorque has carmine Princeps
Vindicias fecere, Orbemque hac peste sub uno

Conflictus ipsius
descriptio.

Labum latus Sa-
xonicus exercitus
tenebat, dextrum
Svæcus.

Tillius tormentis
confundere ho-
stem tentat:
Sed repellitur vis
si.

Concurrunt
agmina.

Major Liga vis in
Saxonem.

Svæcus molitur
circuitum.

Ab utriusque utringue
Tillius profliga-
tur.

Cladis magnitudo.

Gemitus pereun-
tum Lipsiæ au-
diti.

Una pugna ultrix
fuit tot spoliatio-
num Lutherant-
um orbis.

PANTGIRIS LIPSIENSIS

Exsuerunt ictu, quæ tot jam lustra cremando
 Cædendoque ferox per viscera nostra redibat.
Fuga Ligistarum. Jamque impulsa acies totis diffugerat alis
 Nec super ullus erat, qui ferrum tendere contra,
 Auderet; fuga præcipites longissima campis
Tillii ipsius fatum. Extulerat; quæsitum inter tot grandia facta,
 Infesti Ducis est corpus: fama undique cæsum
 Dixerat, & celeri rumore voce ferebat.
Tudata eum senem, ut incognitus evaderet. Ipsa sed elapsum, pugnando imbellior æras,
 Decrepitum servasse Senem pejoribus ausis
 (Si poterit) comperta datur: sed vulnere bino
 Transactum, & firmo caput exitiabile fuste
 Contusum; ut vivo tot capta cadavera signa,
 Tot cæsos cuneos equitum peditumque videret
Pæna vite morte ipsa peiores. Audiretque tamen, sicque ipsa morte periret
 Pejùs, & ipse suis superesset, flebilis umbra,
 Exsequiis, quas magnifico clangore tubarum
 Saxonis Svecisque instantibus undique turmis
 Donec erit, (renuens licet) audiet atque videbit,
Providentia Dei malorum ultrix. Taleis inferias temeratae Virginis ultor
 Ensis agit Christi Procerum: tua facta cruentis
Conscientia. Jam pateris Furiis. Tot millia cæsa, priorum
 Immeriti Manes meritis caput, impie, flammis
 Cingunt nempe tuum! Tormenta hæc maxima censes?
 Sunt certè, quis enim neget? ista ingentia. Verùm
 Sulphureis majora Erebi in penetralibus hærent,
 Expectantque tuum, numquam morientibus intus
Infernales cruciatu secuturi temporales. Exitiiis hominem: postquam fuga mobilis ævi
 Desierit, venietque supremus in omnia vindex
 Crimina, turbasti cujus Nomenque Laresque.
 At vos macti animis pro Relligione sacrâ, pro
 Libertate, Deoque; Arisque focusque paternis:
 Invisi Patriæ Patres, Bellique Togæque,
 Consiliis; par Laude æterni Heroibus ævi,
 Par Superis, sibi uterque: his demum nixa columnis

Sur-

IN VICTORIAM LIPSIENSEM.

Surrexitque solo Pietas, dejectaque pridem,
Erigit ora Fides, Veterumque Industria Morum.
Puraque, nec Lemurum tristi turpata veterno,
Solius æterni cultura æterna J E H O V A.

Quod superest, cujus nutu tam perfidus hostis
Tamque potens, tamque exemplo crudelior omni,
In vestris cecidit, DEUS ô ter Maxime campis,
Trine DEUS, DEUS une, incepta hæc maxima vota
Vota velis fausto ire pede, & finire labores
Afflicti Gregis usque tui: Da Maximus Heros
JOHANNES tua sacra GEORGIUS inferat astris,
E radice ima turpis mysteria Papæ
Eruat, & Sveci junctus constanter Amori,
Ambo tuos cultus seclorum in secla propagent.
Da tua sancta etiam felix Academia semper
Orgia, nostra, ferat manibus, tibi grata, venustis.
Pax tandem bona, deletis altaria bellis
Termite Palladio cingat; Respublica puram
Religionem amplexa, & ab hac complexa vicissim,
Aulam omnem, & Proceres, Urbesque, & amœna Lycæa
Inferat æternæ thyasisque chorisque salutis.

LIPSIÆ noster Amor, mediis quam maxima flammis
Afferuit Christi dilectio, Floreat istis
Lætior è tenebris; & Candida corda Sophorum
Candida fors comitetur; eat nox concolor atris
Moribus, & duplices duplex premat ultio mentes.

PROGRAMMA

DECANI

in Facultate Philosophicâ,

AD ALMAM PHILURÆAM.

LIPSIÆ clara fave, tua dicere fata Camœnis
RIVIADÉS, quorum pars fuit ipse, parat.
Tum cum est ausa Deum sanctasque lacessere turmas
Impia gens, technis non numeranda suis.

Votum, Gratia-
rum Actio.

Preces pro Princi-
pe, Rege, Acade-
mia, Republicis

1110

22
90
4099

Ille per Europa, magnis successibus, agros
Ibat ovans animis, & iua bella crepans.
Auri nempe fames & inexsaturata libido
Sanguinis, obscænos in scelus omne rapie.
Agmina Partbenopes fractæ rorantia tabo
Undiq; densatis traxerat ordinibus.
Ultima uti mensis irritamenta secundis
E Misiâ posset dira referre gula.
Sunt gemino contrâ Rex & Dux Marte profecti,
Fidus uterq; Deo, fretus uterq; Deo.
Religio unanimes Pietasq; invicta fovebat,
Ex sinceratâ, post data verba, fide.
Fraus uti contemrix Superûm collisa periret
Virtuti, in castris, Macchiavelle, tuis.
Jamq; odium antiquum Latia meretricis abibat
Vertere Lipsiæ clara Lycea Schola.
Evomere huc instant virus letale, tot altis,
Præmia consiliis, præmia conciliis.
Cum dicto propè factum ut Lipsia tanta fuisses
Deserta hospitibus, civibus orba tuis.
Constitit hic quo quisq; animo se verterat in te,
Martia quæ virtus, quæq; cuiq; fides.
Nec tamen Urbs Superûm viduata favore, per ignes,
Ceu postliminiò est reddita prosperior.
Non fuit humane tanta hæc victoria dextra,
Debentur grates Regibus atq; Deo.
Pergula pictorum fervet, neq; præla quiescunt
Aonisia semper prodiga Teutonicis.
Grata sua pietate Ecclesia laudat Iovam,
Hanc soror insequitur laus Academiaca.
Gras cum octava premet Hyperionis orbita puncta,
Lipsia ducetur, capta, recepta, Chely.
TILLIUS ut TILIAS semel est deletus ad istas:
Sic redeat nunquam TILLIUS ad TILIAS.
Tu tibi, chara, fave cætu cantanda frequenti
Lipsia, ceu multis digna Panegyricis.

F I N I S.

1077

90

ULB Halle 3
004 807 189



h. 36, 23.

V c
4099

VICTORI

Serenissimorum, In
Princi

Dn. G

AD
Suecoru

Dn. JO

GE
Saxonix
Arc

PA
In incluto a

Eaq̄ ipsa Li
gelicorum ve
psiam ob

LIPSI



VI

NIS

. I.

TO

Evana

n Li-

ticè

631.